

2

DE  
TRINITATE SENECAE

AD

*SENEC. CONSOL. AD HELV. C. VIII. p. m. 558.*

DISSERIT

---

ATQVE AD

ORATIONES

*D. XVII. SEPT. A. R. S. MDCCXXXVIII.*

H. L. Q. C.

PUBLICE HABENDAS

PERREVERENTER INVITAT

M. ANDREAS. CHRISTIAN. CLEEMANNVS

RECTOR.

---

DRESDAE, LITTERIS HARPETERIANIS.

INSTITUT FÜR ANATOMIE

AD

VERGLEICHENDE ANATOMIE

1873

VERGLEICHENDE ANATOMIE

VERGLEICHENDE ANATOMIE

VERGLEICHENDE ANATOMIE

VERGLEICHENDE ANATOMIE



A. Ω.



vam proterve ac irreverenter agant, qui Stoicos sacrarum litterarum monumentis conciliaturi a sola verborum convenientia ad ipsam rerum argumentantur consensionem, quibusdam rationibus nuper uberius commonstratum est. Cujus asserti veritas ut eo luculentius patefcat, exemplis quoque jam suffulcienda erit, quorum messis licet satis larga sit, unicum tamen idque commemoratu longe dignissimum hic ex omnibus seligamus.

Scilicet Seneca ille, Stoicorum facile princeps, ubi de summo rerum omnium effectore differit, iisdem fere verbis utitur, quibus viri christiani mysterium illud *trinitatis* sanctissimum exprimere solent. a) *Quisquis formator, inquit, universi fuit, sive ille Deus est potens omnium, sive incorporalis ratio ingentium operum artifex, sive divinus spiritus per omnia maxima minima equali intentione diffusus.* Et quid sane præclarius, si verba spectas, quid sacris oraculis convenientius de Deo dici potest? En tres quasi *personas τῆς Θεότητος* his verbis exposuisse videtur Seneca. Provocat ad Deum illum patrem omnium potentem:

A 2

addit

a) v. ejusd. consolat. ad Helviam C. 8. p. m 558.

addit incorporalem rationem, ingentium operum opificem, seu ut b) Huetius addit, λόγον, quo facta scimus esse omnia. Progreditur ad Spiritum sanctum, cuius templum esse pios hominum animos c) alio loco speciose docet. Quid inde mirum, Stoicæ disciplinæ cultores in summam Senecæ rapi admirationem, quum non tantum elegantioribus morum præceptis, sed vel ipsis Christianorum hominum mysteriis propius accedat. Qua singulari verborum specie deceptus potissimum videtur d) Huetius, qui ad S. *Trinitatem* respexisse hunc Stoicum asserere nullus dubitavit.

Ast nihil est, quod his verborum lenociniis Senecæ auctoritatem amplificare annitamur. Quod si enim omnia, quæ tam lepide de Deo affert, ad ipsa ejusdem & sectæ suæ dijudicamus principia, sique singulis his vocibus Stoicam subjicimus vim atque sententiam: facillime apparebit, quam longe a sacri codicis recedat scitis, quamque profano hæcce ejusdem *trinitas* innitatur firmamento.

Potentem omnium Deum Stoicos sæpius in scriptis suis celebrasse universi hujus formatorem atque opificem, inter omnes omnino satis constat. Nominat hunc speciose e) Seneca mundi patrem, cuius ope quælibet creata sustentantur atque ab eodem esse, in eo consistere & ad eum redire omnia plus vice simplici docet f) Antoninus. Ac quid plura! quum, quæ de  
ma-

b) *Qvæst. Alnet. L. II. c. 3.*

c) v. *Epist. 41. nec non Ep. 73.* Eadem dicit de Deo intrinsecus præfente *L. II. c. 8. Epictetus.*

d) l. c. in *Qvæst. Alnet.*

e) v. *Senec. Qvæst nat. Lib. III. c. 30,*

f) Sic *L. IV. §. 23: ἐκ σοῦ, inquit, πάντα, ἐν σοὶ πάντα, εἰς σὲ πάντα.*

majestate ac summis proprietatibus hujus Dei patris subinde jactitant Stoici, anxie nimis collegerit g) Lipsius, ac pro amore, quo hos amplectebatur, phaleratis verbis expresserit. Id saltem sufficiat nobis exposituris, quantum inter Deum hunc patrem Stoicorum, & primam τῆς Θεότητος personam interfit, quam nos religiose veneramus, ut quis sit, quem illo nomine innuat Seneca, ex ejus præceptis colligamus, ac præterea, quo consilio pater sit, & qua ratione omnia ab eo dependeant, brevissime disquiramus.

Duplici sensu Dei voce usos esse Stoicos ex concentu eorum doctrinæ facili negotio evinci potest. Etenim sicuti h) duo omnium rerum statuebant principia, causam scilicet omnia moventem atque *materiam* cum ea indissolubili nexu adeo conjunctam, ut quæcunque in hoc universo sint, totum constituent & unum: ita hanc omnium rerum naturam hac vi efficienti & *materia* constantem Deum esse dicebant. Eo sensu i) Seneca gloriatur: *totum hoc, quo continemur, Deus est, socii ejus & membra sumus.* Sæpius vero de Deo hoc ita loquebantur, ut alteram modo partem a *materia* distinctam innuant, quam mundi animam, mentem ac Spiritum esse toties inculcare solent. Quo quidem consilio k) Seneca ad quæstionem, quid Deus est? duplici modo respondet: mens universi & iterum, totum quod vides, & quod non vides totum. Affert potissimum

A 3 mum

g) v. ejus *Physiol. Stoicor. L. I. Diff. IV. V. VI. seq.*

h) v. *Mensg. ad Laert. VII. 134* imprimis, quæ Wolffius erudite in hanc rem differit in *Manichæismo ante Manich. p. m. 151. seq.*

i) v. *Epist. 90*

k) v. ejus *Quæst. natur. præfat.*

mum l) Lipsius ex Augustino hujus sententiæ rationem, quam Varro de naturali theologia præfatus reddidisse fertur. *Sicut hominem, inquit, sapientem, cum sit ex animo & corpore, tamen ab animo dicimus sapientem: ita mundum dici Deum ab animo, cum ex animo sit & corpore.*

Ac hic universi potentissimus formator, de quo pessime sentiunt, optimeque contra ac magnifice loquuntur Stoici, ab Epicteto, Seneca, aliisque patris nomine celebratur, quod ex eo nata sint omnia, quod mens sit, quæ & se & mundum sit fabricata, & omnia moderetur, moveat, regat, m) ut Cicero loquitur. Clarius adhuc patefcet opinionis hujus deformitas ac turpitudine, quam de Patre hoc Deo animis imbiberunt, si rationem, qua quælibet creasse fertur, expendamus. Ex hoc tanquam fonte mortalium n) animas emanasse volunt, quas inde partes εσίας τῆ θεῆ appellare non dubitant. Quo supposito, quid iis esse poterat impedimento, quo minus homines Dei templa o) Jovis filios, imo Deos quoque ac divinæ naturæ crederent esse participes. Hujus vi ac potestate materiam illam æternam sibi que coæqualem in hanc mundi formam esse redactam, & p) exactis quibusdam temporum periodis cuncta in hunc

- l) v. ejus Phys. Diff. VIII. p. m. 826 de civit. Dei VII. c. 6 Eadem fere Seneca profert in Epist. 65.
- m) v. W. Acad. Quo Sensu mens illa æterna Stoicorum se quoque sit fabricata Lipsius c. l. interpretatur.
- n) v. Bruckerus in Hist. Phil. T. I. c. l. ubi fusius Zenonis ac amicorum ejus dogmata hæc enucleantur.
- o) Epist. L. l. c. 1.
- p) Id quod futurum statuebant in mundi exustione, de qua consulendus Thomas, de Stoic. exust. Diff. potissimum VII. & XV.

hunc regressura fontem augurabantur & divinabant. Quantum itaque interest inter Christi amicos ac Stoicos patrem Deum religiose venerantes!

Patri Deo adjungit rationem incorporalem Seneca, quæ numinis Stoici descriptio potissimum eo deduxit Huetium aliosque, ut autumarent, philosophum hunc ad λόγον ὑποσαλικόν seu humani generis sospitorem alluisse. Ecquis enim est, qui nesciat, multos sacri codicis loca, in quibus sanctissimus Dei filius λόγος appellatur, ita vertere maluisse, ut magis rationis, quam verbi exprimerent significationem. Procul dubio lites illæ de Platoniorum trinitate a multis acriter actæ illud consilium suffulserunt, quippe q) qui per λόγον alterum, quod statuebant, rerum omnium principium, rationem & rectorem præsentium & futurorum intelligunt. Digna sunt lectu, quæ Lipsius r) eam in rem profert Stoicos excusaturus. *Liceat, inquit, Ter-maximum inter eos, scilicet sacros scriptores recensere, cujus philosophia valde cum Mosaica consentit. Ille passim Deum φωτα sive lumen & Dei filium φωτεινὸν λόγον appellat. Sed quid ad peregrina hæc levique ac maxime dubia provocemus, cum ipsi*  
Stoici,

- q) v. Cleric. art. crit. P. II. S. I. C. XV. p. m. 306. & ejusd. epist. VIII, quæ sub calcem hujus libri prostat, in qua Philonem voci λόγῳ non verbi sed rationis subjecisse significationem ostendere voluit p. m. 209.
- r) v. Phys. L. I. Diff. VI. Quæ hodie ejus sub nomine circumferuntur scripta a Casaubono aliisque ad Supposititia referuntur. Affert præterea erudit: Dickinson in Delph. Phœnic. ex Suida locum, qui dignus est, ut legatur. Hic, inquit, vocatus est Ter-maximus, quod de Trinitate locutus est, εἰπὼν ἐν τριτάτῃ μίαν εἶναι θεότητα. v. Crenii Fasc. Diff. philol. p. 128. cui hic liber est insertus.

Stoici, ratione hac quid intelligant, luculenter satis docent. Audiamus inprimis ipsum s) Senecam verborum suorum optimum interpretem. Hic: *quid aliud est natura, inquit, quam Deus & ratio; Quotiens voles, tibi licet aliter hunc auctorem rerum nostrarum compellare.* Sicuti enim ubi de mundi fabricatione loquuntur, patris Dei ac universi formatoris nomine naturam complectuntur & causa res omnes moventi & *materia* absolutam: ita e contrario rationis nomine plerumque designarunt nobiliorem hanc partem a *materia* distinctam.

Id quod huic Senecæ effato decus quasi ac lucem conciliare videtur, est utique, quod hanc rationem dicat incorporealem. Diu nimirum multumque disputatum est, an Deus Stoicorum corporeus sit vel naturæ gaudeat simplicitate, præprimis cum sæpenumero inculcant Stoici, nihil esse, quod corpus non sit. Egregia omnino sunt, quæ t) philosophus noster in hanc rem commentari solet, oculos sane Deum effugere, cogitatione hinc tantum esse videndum, ac inepte prorsus agere homines, qui Deos immortales dedicarent in vilissima materia eoque fingerent habitu, quo si occurrerent derepente alicui, monstra haberentur. Fuerunt inde etiam, v) qui corporis vocem ac significationem tam late patere arbitrantur, ut *ἕσταν* rerum ac quamlibet *substantiam* exprimat. Quibus adhuc addunt, vel ipsos Christianæ reipublicæ patres secutos esse ea in re Stoicos,

s) Benef. L. IV C. VII.

t) v. Senec. Nat. Quæst. L. VII. c. 30.

v) Id qui faciunt ad Græcos respexisse videntur, quorum vox *σῶμα* non tam ad corpus, quam ad *ἕσταν* cujusvis rei refertur.



cos, piūmqve Tertullianum non animum modo sed ipsum Deum dicere corpus, quod, ut w) Augustinus eum excusat, timebat, ne nihil essent, si corpora non essent. Ast quæ Senecæ esse possit sententia, facile intelligent, qui relicta vocum ambiguitate ad Stoicorum dogmata descendunt. Nolo hic ad illam provocare descriptionem, quæ hanc universi animam non corpus tantum sed x) ignem quoque dicebant, spiritumque subtilissimum per omnem materiam diffusum eamque permeantem; sed ex eo sane de simplicitate ficta hac numinis Stoici æquum ferri poterit iudicium, quod humanam rationem rationis divinæ partem omnesque genios atque animos mortalium ejusdem y) ἀποσπασμαίλα & partes decerptas dicebant exacto quodam tempore in hanc mundi animam redituras.

Idem quoque sentiendum est de divino & sacro spiritu, quem habitare in piorum animis alio loco tam splendide docet, quando: z) *Prope a te, inquit, Deus est, tecum est, intus est: ita dico, Lucili, sacer inter nos spiritus sedet.* Quod si enim alia eaque clarissima loca Senecæ in consilium vocamus, facile efficitur, unum eundemque universi formatorem ac patrem Deum, modo rationem, modo mentem ac animam, modo etiam spiritum divinum ac sacrum esse a Stoicis nominatum. Argumenti loco ea adducimus, quæ a) Laërtio teste, Zeno iam dixisse

w) v. August. in Genes. cap. ult.

x) v. Laert. in Zenon. & Euseb. L. XIV. de Præparat. Evang. c. VI. nec non doct. Brucker. Hist. Phil. I. c. itemque T. II. p. 1023. seq.

y) Anton. L. IX. §. 8. Epict. L. III, c. 24, & Seneca multis in locis.

z) v. Epist. 41.

a) in Zenon,

xiffe fertur, unum scilicet esse Deum, sed tamen mentem seu spiritum & fatum, & Jovem aliisque pluribus nomenclaturis *ἑνομασίαις* solere efferri. Id quod & ipse Lipsius, qui tamen ubique Christi mysteria apud Stoicos quærit, haud diffitetur. *Nam rationem, inquit, b) aut spiritum dicas Deum, haud interest, aut leviter interest, sicut si animum ac mentem, nisi quod illa nobilior animæ pars ratio & animus magis suevit vocari.*

Præter hæc speciosa Senecæ verba, quæ illis loquendi formulis tam consentanea videntur, quibus Christi amici *trinitatis* mysterium depingunt, trinum illud vel numerum demirantur maxime ternarium, quo loco hoc usus est Stoicus. Interrogabunt forsan, cur triplici hoc nomine in Christi civitate recepto utatur in describendo numine suo, nisi aliqua mysterii illius cognitione fuerit instructus. Inficiandum omnino non est, vel antiquissimos philosophos & Pythagoræos ternarium in primis numerum maximi fecisse, & si c) Servio habenda fides, eandem sæpe ob causam summo d) assignasse numini. Eo consilio Jovis e) potestatem trifido fulmine, Neptuni imperium tridente, Parcarum atque Furiarum fatale robur ac vim terno numero tanquam quodam symbolo exprimunt. Tantum vero abest, ut ad numeri hujus perfectionem respexerit Seneca, ut  

potius,

b) v. Lips. Phys. Diff. VII.

c) v. Serv. in Virg. Ecl. 8.

d) Quo consilio & sensu Platonici quæsierint trinum in Deo ex Plotini libro clarius perspicitur, qui inscribitur *περὶ τῶν τριῶν ἀρχικῶν ἕκαστάων* & qui in ejus Enneade quinta primus est.

e) Ex quo simul intelligitur, cur nec Cluvero in Germ. Ant. L. I. c. 26. Suffragari queamus, qui Hermetem Trismegistum seu Ter-maximum Deum & unum & trinum esse voluit.

potius, si ex numero aliquid conjici liceat, non triada, sed quaternionem lectori commendare videatur. Addit enim spiritui huic divino fatum ac immutabilem causarum inter se coherentium seriem, de quo pari religione ac pietate sapissime loquuntur Stoici.

Discussis itaque tenebris, in quibus vera sententia Senecæ abstrusa latitabat, convertimus nos jam ad ornatissimos quosdam Juvenes, qui, quamdiu in amplexu nostro hæserunt, ope atque auxilio Trinitatis sanctissimæ, non Stoicæ, sed quam nos pio & religioso animo veneramus, adeo feliciter in Scholasticorum laborum procurrerunt stadiis, ut multa cum laude in conspectum Fautorum Suorum prodire queant. Quorum primus

JOANNES GOTTHELFF ZEIBICH,  
*Misen.*

ut ad quævis ardua subeunda insigni eoque domestico inflammatus est raræ pietatis, doctrinæ atque prudentiæ exemplo, quo consultissimus ejusdem pater, de urbe hac & Schola nostra optume promeritus Misenæ huic piisque omnibus præluceat: ita etiam tam auspicato in artium atque humanitatis studiis est progressus, ut iis apprime instructus Subsidiis, quæ decent juvenes ac ornant Wittebergam. Deo duce & præfide, abire atque juris civilis bonarumque litterarum studiis operam suam navare queat. Ante vero, quam ex vitæ scholasticæ curriculo egredietur, pio ritu artium flatoribus hac in urbe ultimum dicet Vale, præmissa oratione latina, qua *de quibusdam aget Romanorum institutis, quibus, ne causidici in foro flexiones quærerent atque ambages, sapienter cautum erat.* Post hunc

CAROLVS CHRISTOPHORVS de ZEHMEN,

*Eqv. Misn.*

in spem Familix generosissimæ suæ feliciter efflorescens, morumque facilitate ac studiis ingenioque commendabilis verba faciet *de pignoribus Romanæ Reipublicæ fatalibus*. Denique

CAROLVS FERDINANDVS RICHTERVS,

*Gubena Lusatus,*

parentis de Republ. Gubenensium præclare merentis optimus filius nec ingenii felicitate, nec diligentia ac probitate ulli secundus, carmine germanico iniquitatem Prætorum romanorum in foro descripturus aget *de pio Ignatio a Trajano ac ejus prætoris injuste damnato*. Quo factò abeunti amico & suo & con discipulorum nomine bona verba dicet.

Qvod institutum nostrum, ut Patroni bonarum artium, ac omnes, qui ingenuis litteris justum statuunt pretium, præsentia sua sublevent & ornent, officiose & observanter rogamus,

P. P. Misenæ d. 10. Sept. MDCCXXXVIII.

